

rum militum omnibus illis locis ponendi ubi Iaponia opportunum duxerit inspectio- nes suas agere, reiectae quidem sunt. Ia- ponii itaque per vim in Sinis ulterius pro- cessere, urbem Kowkong in Kovatung pro- vincia, et praecipua loca regionis Chung- han et Yangtse vallis occupantes. Sinenses praedicant se brevi ea reciperaturos.

Mutuae inter Germaniam et Galliam profesiones.

Omnibus profecto probantibus, Lutetiam Parisiorum petivit exterarum Germanica- rum rerum administer Von Ribbentrop ad mutuas cum Gallico gubernio profesiones subscribendas. Fuerunt hac de bona, quae dicitur, vicinitate inter Gallicum ac Teu- tonicum populum; de recognitione utriusque civitatis finium, ita ut nulla iam quaestio de re in posterum interesse possit; denique de consultationibus vicissim ha- bendis si qua internationalis difficultas in- terfutura sit.

Hispanicum bellum civile

Post brevem moram, cuius causam dicti- tant hyemalis temporis asperitatem fuisse, «nationalis», qui appellatur, exercitus, Le- ridae provincia omni in ditionem suam redacta, per Cataloniae atque Estremadu- rae territorium vitor progreditur.

Ex Helvetia

In Helvetia comitia recens habita ad no- num civitatis Praesidis eligendum, favora- bilia omnino cesserunt Philippo Etter, iuri- s doctori ex Catholicorum parte.

POPULICOLA.

Spatio deficiente, ad proximum numerum: Varia, Fabulae, Mensae ordo, Iocosa, Ae- nigmata.

LIBRORUM RECENSIO

MATTEO PAOLILLO, *Carmina* (Lucerae, typis Scepi, p. 12).

Recens, ut est verisimile, M. Paolillo carmi- nibus conscribendis operam navavit. Anno enim 1936 alcaicos nonnullos composuit in *Italiam quarto triumphantem*, deinde *Carmina*, quae, quum quamplurimis mendis et prosodicis et met- tricis scaterent, hic illic expolita typis rursus una cum alcaicis mandavit. Progressum sane Auctor fecisse videtur, qui tot menda e medio sustulerit; carmina vero in universum spectanti, variis metris concinnata variasque res tractan- tia, rem parvi quidem momenti opusque tantum tironis iudicanda censeo. Optandum vero ut in incepto Auctor perset, quo, pluribus fragran- toribusque floribus ex horto Musarum decer- pis, pulchiora serta conficere valeat; idem est monendus ne nimis properanter ingenii sui fructus in lucem prodat, at multo limae labore prius insudet.

I. M.

A. ESPINOSA PÓLIT, S. J., *La pastoral virgiliana de Wicher* (Quito, Editorial ecuatoriana, 1937).

Georgius Meason Wicher anno 1930 ad bis- millesimum natalem diem Maronis celebrandum *Virgiliana* quaedam anglice composuerat, ex quibus A. Espinosa, qui tantum virgilianis operi- bus incubuit, eclogam latinis versibus vertit sa- tis Virgilium suavitate verborum redolentibus. Hic opus Wicherii et anglice et latine et hispanice habes, nonnullis praemissis, in quibus clari- ssimus Espinosa amanter loquitur de P. Manuele Jové, qui — ut lectores nostri norunt — effera communistarum vi in urbe Babastro mi- sere occisus est, et, cui eclogam in *Palaestra latina* edendam miserat: quae quidem non sine magno animi motu legimus.

I. M.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS


ALMA ROMA

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE

TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

Pauca exemplaria reperta sunt

IOANNIS B. FRANCESIA actionis dramaticae, versis senariis conscriptae,
cui titulus:

EUPLIUS

Venit libell. italic. 2; quibus addenda erunt libell. 0,60 in Italia;
libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud
ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici
cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE
collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum
MCMXXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium consti-
tuimus libellarum 650 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic.
scilicet 1300, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab
ALMAE ROMAE administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod
bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXVI

Romae, mense Ianuario MCMXXXIX



Fasc. I

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas
lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem
Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*

“ALMA ROMA”
IN ANNUM MCMXXXIX

Initium anni vitae nostrae XXVI facientes, fere a stuporis sensu
percelli sentimus: ut tot annorum cursum currere valuimus, qui tamen
velocissime effugerunt?... Quas metas attingere, quos fructus datum
est colligere?... Profecto hinc saltem animus delectari potest, ob
elatam et per quartam saeculi partem altam latinitatis facem per Al-
mae illius Matris vocem, quae per universum orbem indesinenter in-
sonare potuit, ad sese tot Romanae atque Christianae humanitatis cul-
tores iterum allicere, novumque pacificaे unitatis commercium con-
stituere. Vidimus itaque pluribus rationibus obsoleto heu! cultui vim
restitutam, a singulis viris ad initas societas; a scholarum studiis et
certaminibus ad commentarios editos, nobilesque passim nisus pro
rebus recentioribus latine exprimendis; unde palam factum est latinam
linguam haud mortuam et inanimam esse, sed ita vitalem, amplam,
flexibilem etiam nunc praeberi, ut universitatis locus suus apud omnes
doctrinae peritos iure meritoque sibi vindicare possit. Restat quidem
quod tamdiu invocabimus; ut nempe coetus seu collegium compona-

tur ex omnibus nationibus, quod proposita vocabula ad trutinam revocet atque deinde valide firmet iurisque publici faciat cum praecipuarum linguarum respondentibus vocibus coniuncta; qua quidem unica ratione unitas illa elocutionis fiet, sine qua — prouti non semel occurrit nobis sub lectorum nostrorum oculis ponere — vocum interpretatio perpetram, aut saltem minus recta evadet; atque id futurum non longe speramus, ut Superi nobis, qui iam ad proiectiorem aetatem pervenimus, huiusmodi quoque animi nostri desiderii expletionem videre concedant.

Interim pro viribus nos in incoepio nostro perdurabimus; neque ratio, quam per annos viginti quinque tenuimus et sociorum favorem est assequuta, immutanda videtur: haec autem fuit, in commentario nostro re ostendere cuiuslibet generis argumenta latino eloquio, eodemque non plane invenusto, stricta vel soluta oratione tractari et intelligi posse: de litteris scilicet et bonis omnibus artibus, de historiis et milesiis fabulis; de rebus religiosis, philosophicis et civilibus; de communis vitae moribus et iocis; nec eadem eloquio tantum latino, sed latino animo, augusta atque imperiali maiestate latina.

Fuit et qui nobis etiam proposuerit, ut auctores essemus latinos sermones non minus quam ceteram linguarum per radiophonum diffundendi: « magnum studium linguae latinae — ita ille — excitari posse censeo si certis intervallis sua scripta auctores latine in orbem terrae enuntient. Ad *radiabulum* ostendatur quam non sit difficile de unoquoque arguento nitide copioseque posse dici et cani... Si lingua latina et scientia et usu disci debet, nonne haec ratio “usus” est? Ferantur Latii voces per undas aethereas! » — Plaudimus quidem oblatae condicioni; ambabus manibus plaudimus; sed provinciae tractandae impares nos ingenue iudicamus; suscipiat ex constitutis vel constituendis coetus aliquis debita auctoritate pollens: nos auxilium operis nostri, quodcumque esse poterit, libenter conferemus.

Nobis autem ultro conferant, mentis suae specimina edendo vel quaestiones pertractando, quae ad latinitatem restituendam quovis modo attingere possint, socii nostri. Fuerunt elapso anno novi ex Teutonicis regionibus et vel ex ultimis Sinis; alii aggregentur ad scriptorum manipulum amplificandum.

Non id vero solum ab ipsis sociis requirimus: rogamus quoque eos ad Commentarium nostrum subnotatores novos adducant; quo magis eorum numerus augebitur, eo minus difficilis ALMAE ROMAE vita fiet.

Cuius quidem subnotationis pretium, licet omnium rerum pretium in dies ubique augescat, in annum MCMXXXIX immutatum reliquimus, nempe in Italia libellarum 15; pro ceteris universi orbis nationibus summa, quae Italicas lib. 30 exaequet.

Communi vero huic subnotationi additur altera, quam *adiutricem* appellare consuevimus, duplicato utriusque subnotationis pretio. Inter Patronos autem Commentarii adscribentur, qui summam Italicas lib. 100 exaequantem miserint, vel socios quinque novos adduxerint.

Praeterea qui integrum ALMAE ROMAE commentarii collectionem, ab anno scilicet MCMXIV ad an. MCMXXXVIII inclusive, sibi cupiant, mittant lib. 650, si in Italia; pretium duplicatum, libell. nempe 1300, si apud exterias gentes.

Pecunia autem omnis solvenda erit sive directe apud doctorem JOSEPHUM FORNARI, « ALMAE ROMAE » Moderatorem, Romae, « via del Governo Vecchio, 96 »; sive — idque fortasse exteris sociis expeditius hodie fiet — indirecte per « Typographiam Polyglottam Vaticanam » (Città del Vaticano), vel per bibliopolam aliquem aut aliquam suae civitatis nummariam mensam in Urbe procriptionem habentem.

Denique has de subnotatione leges in mentem sibi quisque revocet:

1) *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit — (quod nullo impedio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) — tamquam socius valide reputabitur, ideoque ad solvendum annuae consociationis pretium tenebitur.

ALMA ROMA.

DE PUEBORUM POESI LATINA

Nomina sunt odiosa

Mos est antiquitus traditus, ut alumni scholae secundariae, perceptis rudimentis artis poeticae et plus minusve centum carminibus in schola lectis et explicatis, vires suas experiantur, si versibus patrio sermone componendis et ipsi sint pares. Imprimis si quis telis Amoris aut felicibus aut infelicibus tactus est, nil antiquius habet, quam ut animi aut laetitia exultantis aut graviter ulcerati sensa lyrae committat. Cauta autem idem plerumque facit, quod conamina sua occulit, ne cui in manus veniant. Ubi vero adolevit, ipse istas nugas pueriles — in scrinio forte inventas — lento risu prosequitur et aequamente flammis credit absumendas. Rarius fit, ut auctor nimia sui fiducia ductus plenarios fructus alicuius ephemeridis moderatori commendet excutiegos et evulgandos. A quo postquam semel vel bis repulsam tulit, indignatus si non in omne tempus, at in multos annos Musas valere iubet. Rarissime denique evenit, ut criticus primitias illas — indicis insitae facultatis poeticae ibi detectis — dignas iudicet, quas integras vel leviter mutatas proponat legentibus. Haec sors iis obtinere solet discipulis, quos modo natos iam natura destinavit, ut aliquando summis vaticibus adnumerarentur. — Quam rationem studiorum poeticae hic adumbravimus, ea apud pueros totius orbis terrarum obtinet et obtinebit saeculis futuris. Neque est, cur quisquam propterea indigneretur.

Ex quo autem ephemerides Latinae cum in Europa tum in America condi coeptae sunt in usum alumnorum gymnasii, haud infrequeenter usu venit, ut lectores vix primordiis artis metricae iniciati Latinos versus pangere animum inducant. Quod facile

condonare possumus iuvenili ardori in quamvis novitatem proclivi. At minime probare possumus, si isti adolescentulii qualescumque versus, sive ex suo profectos ingenio sive ex vernaculo sermone versos ephemeridi obtrudunt in lucem edendos. Nec minus notandus est editor, qui immodicæ ambitioni parvulorum lectorum morem gerens, typis mandat eorum insulsa tirocinia. Etenim ad carmina Latina vel mediocria componenda opus est maiore scientia tam rei metricæ quam linguae Latinae, quam qualem his temporibus habere potest gymnasii alumnus, licet sit felicioris indolis. Frustra igitur desudat puer, si paucis illis quos novit, normis metricis nixus ex inope, quam acquisivit, vocum Latinarum copia pedes et versus conglutinat. Placet vix unus et alter semiversus, quem meliori poetae clam surripuit; quae autem ex suo ipsius ingenio prompsit, languent et sordent prope omnia. Frustra etiam desudat ephemeridis editor, si correctis gravissimis saltem erroribus grammaticis et prosodiacis ex rudi et indigesta mole sibi oblata elicere studet aliquid, quod prelo subigere non admodum erubescat. Proinde gymnasiorum discipuli interim legant, relegant, ediscant privatimque in usum suum intentur probata exempla poetica, donec, aetate adulti iustumque in versificando assecuti dexteritatem, sua ipsorum opera iudicio peritorum subicere audeant. Quod plerumque contra fit, quandoquidem puer quintam vel sextam classem frequentans iam vult poetæ Latini laude gloriari et suos versus typis impressos intueri; ubi autem maturitatis examen superavit et a gymnasio discessit, non solum poesi, verum etiam linguae Latinae in perpetuum valedicit, pueris natu minoribus tales — quales nunc putat — quisquiliis hereditate relinquent.

Maximum autem periculum inde nascitur, quod praecocis ingenii fructus prelo

divulgati facile inveniunt imitatores, qui etiam peiores procreant ineptias. Itaque graves poenas levitatis pendit editor nugarum puerilium, quippe qui undique pauperrim obtrudatur versibus adeo claudicantibus, ut in quovis fere vocabulo aliquod mendum lateat. Quam calamitatem ut effugiat, iam inde ab initio excludat ab ephemeride, cui praeest, discipulorum operam. Quod aequo animo facere potest. Si non habet in numero sociorum poetam adiutum in versibus fingendis bene versatum, uberes tamen ei praesto sunt fontes, unde aptam materiam poeticae artis principatum tenere existimant. Italorum enim pictores, postquam Raphael et Bonarrotius culmen artis attigerant, alterius errores imitati, iam in falsum quadam et corruptum pingendi genus corruerant, neque inter Gallos, si Poussinum excipias, ullius adhuc nomen ita per Europam insonuerat, quod italicos triumphos nec aemulatum quidem fuisse diceretur.

Quam contra laudem, si qui tunc adepti sunt, Iberi profecto tres illi fuerunt, qui suae gentis imperii supremos dies, Philippo IV rege, tanto artium splendore ornaverunt, ut delabentis postea fortunae occasum fulgentiorem reddidisse merito habeantur. Hos inter Didacus noster anno 1599 Hispali est natus ex Ioanne Rodriguez de Sylva et Hieronyma Velasquez, honestis divitiis, atque Iunii mensis die sexto in templo Sancti Petri est baptizatus. Adolescens latinis litteris ac philosophiae operam dedit; sed quum vehementissime ad picturam traheretur, facile a parentibus impetravit, ut in eam incumbere sibi liceret.

Illum itaque, vix decimum tertium agendum annum, in Herrera, celebris tunc pictoris, tutela iam penicillo et tabella videamus instructum. At magistri indolem in iram proclivem mite adolescentis ingenium vix potuit ad annum pati; quare se-

pauca conferam: Vulcano dentur mera tironum tirocinia in eorumque locum succedant vera poemata post renatas litteras condita.

ARISTARCHUS.

DIDACUS DE SILVA Y VELASQUEZ

Didacus de Silva y Velasquez nomen est inter universi orbis pictores celebrissimum, quod una cum Murillo et Ribera triumviratum Iberorum constituit, quos merito saeculo decimo septimo pictoricae artis principatum tenere existimant. Italorum enim pictores, postquam Raphael et Bonarrotius culmen artis attigerant, alterius errores imitati, iam in falsum quadam et corruptum pingendi genus corruerant, neque inter Gallos, si Poussinum excipias, ullius adhuc nomen ita per Europam insonuerat, quod italicos triumphos nec aemulatum quidem fuisse diceretur.

Quam contra laudem, si qui tunc adepti sunt, Iberi profecto tres illi fuerunt, qui suae gentis imperii supremos dies, Philippo IV rege, tanto artium splendore ornaverunt, ut delabentis postea fortunae occasum fulgentiorem reddidisse merito habeantur. Hos inter Didacus noster anno 1599 Hispali est natus ex Ioanne Rodriguez de Sylva et Hieronyma Velasquez, honestis divitiis, atque Iunii mensis die sexto in templo Sancti Petri est baptizatus. Adolescens latinis litteris ac philosophiae operam dedit; sed quum vehementissime ad picturam traheretur, facile a parentibus impetravit, ut in eam incumbere sibi liceret.

Illum itaque, vix decimum tertium agendum annum, in Herrera, celebris tunc pictoris, tutela iam penicillo et tabella videamus instructum. At magistri indolem in iram proclivem mite adolescentis ingenium vix potuit ad annum pati; quare se-

Ergo, ut quae demonstratus fui, in

quenti anno 1613 eius domum deseruit, ac Francisco Pacheco, non tam pictori comptissimo, quam et litteris omnibus exornato, sese erudiendum commisit. Neque prefecto illum electio fecellit: Franciscum enim non tam magistrum quam et tutorem et maecenatem expertus est, quoadusque, Ioanna eius filia uxore ducta, sacerum benignissimum habuit. Nec satis: nam condiscipulos eos viros sortitus est, qui postea, licet eius gloriam non aequaverint, aemulati tamen cum laude sunt, Zurbanam atque Alonsum Cano; magister autem, qui venetum Italicorum stilum ferventer admirabatur, in contrariam omnino partem abire libenter Didacum sivit, ingenioque servire suo, quo potissimum ad contemplandos naturae vitaeque adspectus ferebatur, ut deinde, qua maxima posset vi, mire coloribus exprimeret.

Quum itaque Batavicae scholae agmen alterum, a Rubens et Van Dyck summorum virorum tramite quam longe aberrans, Rembrandt sumnum exemplum in reddenda fideliter natura sequeretur, similia in Iberia inter Sebastianum Murillo, candidum caelestium pictorem, ac Didacum Velasquez fiebant, qui postremus humiliorum omnium condiciones, foedosque deformitatis adspectus assiduo quodam studio praediligere coepit, ita ut merito quis posset hodierni, quem dicunt, *realismi* alterum ex patribus illum salutare.

Ad quam pingendi rationem ea etiam de causa illum putant fuisse excitatum, quod tunc temporis in ibericis litteris mos *Picarensis* usuvenisset, ex Iberica plebe ipsius gentis desumptis notis, qui splendidos edidit commenticiarum fabularum fructus, quos inter *El Lazarillo de Tormes*, *Guzman de Alfarache*, *La Picara Justina*, etc.; quibus addendae etiam *Las Novelas Ejemplares* a D. Michaele Cervantes de Saavedra, quem omnes norunt, exaratae.

Ad haec itaque iuvenis exordia tabulae nonnullae pertinent, *bodegones* tunc ap-

pellatae, quarum praecipua Hispalensem quemdam aquarium gerulum pulcherrime exprimit.

Sunt tamen et tunc temporis inter eius opera sacrae nonnullae tabulae recensendae, eaeque frequentiores quam in reliqua vita unquam pinxerit: *Deipara sine labe*, *S. Ildephonsus*, *S. Ioannes*, *Trium Regum ad praesepe adoratio*, *Apparitio Dominica ad Emaus*, *S. Petrus*. Tanta autem erat naturalis ingenii vis, ut vel in iis plerumque figurarum facies et habitus ex vivo veluti exemplo quasi praerepta, humanum omne, divini verum parum praeserant.

Haec inter quum binas genuisset iam filias, Franciscam et Ignatiam, incitatus a socero, ut familiari fortunae acrius consuleret, Madritum primum petiit; nec tamen, ut in votis fuerat, facilem regalis aulae aditum habuit. Sequenti vero anno, Gaspar de Guzman, comes de Olivares, Philippo IV regi inter administros acceptissimus, eum iussit regii pueri pingere effigiem. Quod quum ille callidissime praestitisset, Fonsecæ, illustrissimi viri, magni in aula ianitoris, imaginem pariter effinxerit. Quae quum probatissima regi fuisset, causa fuit ut rex idem suae referendae imaginis negotium Didaco dederit. Imago vero illa stans nigraque induita veste, viva veluti ac spirans ab eo perfecta, regii pictoris titulum artifici peperit, menstruumque ducatorum viginti stipendum; immo, abacta ex aula quavis alia regis effigie, edictum est, ne quis regem pingeret praeter hunc novum Apellem.

Inde vero facile in ceteris aulicis pictoribus Bartholomaeo Gonzales, Vincentio Carducho, Eugenio Caxes invidia excitata; quapropter certamine inter eos regis iussu indicto, *Mauritanos ex Iberia expulsos* Didacus pinxit, ac victor discessit: sed tabula pretiosissima inter Alcazar aedis incendium anno 1734 absumpta est. Huius victoriae praemium ianitoris cameralis of-

ficium fuit, auctum stipendum, hospitiumque in regia domo datum; cuius adeptae quietis fructus, alterum ex summis Didaci operibus prodidit, cui *Bibuli* (*Los Borrachos*) titulus, quod artis et expressae veritatis prodigium in Madritensi museo del Prado omnibus admirationi adhuc prostat.

Haec inter vero Rubens summus pictor ex Flandria iterum Madritum descendebat, iuvenisque opera, quamvis a sui ipsius stilo quam longe dissita, summa laude prosequutus fuerat, suaseratque ut iter in Italiam arriperet; quod prefecto, Olivares comite opitulante, statim Didacus fecit. Venetiam et Ferrariam igitur attingens, Romam, Urbano VIII pontifice, tandem pervenit, oblatumque in Vaticano hospitium respuens, Mediceum rus in colle Hortulorum incoluit, ubi celeberrimorum Italiae pictorum exemplo roboratus, novum pingendi morem tunc primum inicit. Rure itaque ipso binas tabulas lectissimas exaravit, sui ipsius effigiem, quae in Capitolio adhuc asservatur, atque Iosephi vestem Iacobu patriarchæ oblatam; aliudque ex suis operibus maxime insigne protulit, quo fusca Vulcani officina effingitur, dum Apollus rutilans pulcritudine ephebus ferrarios opifices visitat.

Horum autem corporum naturali magnitudine, brachiorum, vultuumque nihil sane poterat verius efficaciusve exprimi; quae immo fulgenti divino corpori opposita, oculos percellendi efficaciam ineffabilem habent.

Madritum post annum circiter reversus, perfecti itineris fructus mira copia patriæ ac regi statim dedit. Regis regalisque consortis, Matthaei cuiusdam aulae archiballistariorum, Buenavente nobilissimi viri miras effigies pinxit, Braedae, Bataviae urbis, Ambrosio Spinolae, Iberorum duci, dedicationem magna tabula posteris tradidit, effigiesque alias plurimas equestres expressit, quas inter Philippi III, regis patris, atque Elisabeth, uxoris eius, Comitis de Oliva-

res, ipsius Philippi IV, et Caroli Baltasar, eius filii pueruli, suavissimam imaginem pariter equo insidentem; immo tum regis, tum eius fratri Ferdinandi e domo Austriaca, tum pueruli lectissimas effigies venatorum habitu retulit. Cetera enumerare praetermittimus, ut illum anno 1649 iterum Romam usque sequamur, ubi celeberrimos aetatis pictores Poussinum gallum, Salvatorem Rosa, Petrum Cortonensem sibi amicitia devinxit, atque ab Innocentio X e domo Pamphylia suam effigiem reddere iussus, miraculum illud protulit, quod in urbana gentis pinacotheca et nos et advenae attoniti demiramus.

His absolutis, citissime in patriam reverti oportuit, ut italos pictores, quos coegerat ad *Alcazar* et *Buen Retiro* regales aedes exornandas, iuxta regis mandatum secum deduceret.

Ab anno itaque 1651 reliquos vitae annos Madriti plerumque exegit, effigies illustrium omnium virorum regiaeque familiae, uti assueverat, alias præ aliis exquisitas pingens, at simul, naturae suaे indulgens, istrionum aulicorum pumilonumque ridiculas vel deformes figuræ summa calliditate referens, inter quae binas easque postremas celeberrimas edidit tabulas, quarum altera in opificio nentes foeminas, altera regalem omnem familiam, ac præcipue regias puerulas venustissime expressit.

Ultimæ tabulae praemio Sancti Iacobi equestri ordine, prævia Alexandri VII papae dispensatione, ab ipso rege auctus est, post quae minime putas eum a coloribus abstинuisse; imo inter foecundam atque inexhausam adhuc tabularum copiam, sancti Antonii atque sancti Pauli eremitarum colloquium in abruptis deserti rupibus, splendide confecit.

At anno 1660 ad Pyrenæos montes profectus, ut Mariae Theresiae, quae, Ludovico XIV nuptura, regi obviam profiscetur, iter in Galliam, ex ianitoris mu-



nere, pararet, itineris incommoda non sine magno valetudinis detimento pertulit, ita sane, ut triginta post diebus ex quo Madridum reversus erat, sexagesimum primum agens annum, sacris fidei mysteriis solatus, pie obierit. Funera eius maxima pompa inter insolitam populi frequentiam sunt celebrata, eiusque corpus, equestribus sancti Iacobi vestibus indutum, in gentilicio Gasparis de Fuensalida sepulcro conditum est. Mirum vero omnibus tunc visum est, Ioannam Pacheco, quem Didacus a prima iuventute coniunctissime vixerat, septima ab eius obitu die, dilectum sponsum in tumuli requiem esse sequutam.

Hoc nimurum modo pandere feliciter mulieri contigit suam in clarissimum sponsum dilectionem, quam legato quodammodo a patre accepérat. Quae profecto insolita adeo fuerat, ut nulli contigisse reputem, vitam a socero posteris esse enarratam; meritoque Menendez y Pelayo clarissimum virum asseruisse, optimum ex Francisci Pacheco operibus ipsum Velasquez fuisse.

Et profecto Didaci tabulas, licet tribus iam saeculis a nobis dissitas, expressa naturae veritate nostras facile dixeris, atque alicui ex *realismi* agmine discipulo adscriperis. Quod mirum sane fuit eo tempore contigisse quum Italorum tantum tum Romanæ, tum Venetae scholæ exemplaria in Iberia recolerentur, ac præcipuo cuius artificis ingenio tribuendum, cuius insolita ac maxime propria pingendi ratio una cum callidissima artis peritia coniuncta, alterum ex maximis non Iberiae tantum, sed et ceterarum nationum pictoribus illum procul dubio fecerunt.

I. ANTONELLI.

Coepisse multorum est; perficere autem paucorum.

S. HIERONYMUS.

IN IESUM NASCENTEM

*Sub sancta trepidant nocte micantia
in caelo vigili lumine sidera:
Iesu, nonne tui de superis avert
nascentis sacra cernere?*

*Hinc illinc placidum multa per aethera
tinnitu aera gravi tinnula personant,
ut si scire procul turris ab altera
magnum prodigium velint.*

*Quid, quid nocte canunt aera frequentia
sub sancta? nivibus nonne iuga obsita
exaudire student mystica quae volant
orbem verba per anxium?*

*En, rursum angelicus carmina dividens
tranat caeruleum rite chorus polum?
Dulcem, Christe, tuam pandere gestiunt
pacem nunc quoque gentibus?*

*Maiorum Pietas firma nepotibus
quidquid diva sequens tradidit ultimis,
hoc servavit amans pectore conditum
imo progenies diu.*

*Et nunc usque memor, non sine gaudio,
caris cum genitis quisque diem colit,
quo te movit Amor tendere ad infima,
nostrorum hostia criminum,*

*quo, Iesu, positus stramine in algido,
Infantis miseri membra tenellulus,
vagitus (ipsa tibi nox tremuit nigra)
misisti querulum puer.*

*Ast, heu, laetitia non tibi, dum iaces,
affecti canimus carmina: non parent,
o Iesu, lacrimis lumina percita,
non luctu caret intimum.*

*Quot, si conspicimus, funera tristia
hinc illinc populis (quam dolet!) imminent!
Instant funeribus funera et in dies
urget Mors celeri gradus...*

*Quanto, heu, quanto odio pectora perfide
fratres non dubitant rumpere fratribus!
Mersa Hispana lacu sanguinis horrido
languet natio nobilis.*

*Sacri si quid adhuc, corruit obrutum:
glans nitrata frequens sibilat undique
et quassata tremit saepe sonantibus
longis terra boatibus.*

*Igni immo rapido gens properat mala
ignem inferre — nefas — nec pudet impian
omnes excidio perdere, dum simul
Iesu, tu pereas quoque...*

*Insanos! Sine te, care Puellule,
quae, quae vita potest currere prospera?
terrarum orbis erit te sine bellus
lustrum, non homines, tegens.
Nunquam te amoveant crimina gentium
quae caecae tenebris atque odio patrant:
adferres ut opem misit ab aethere
nobis te Puerum Pater!*

*Hic in supplicibus siste gradus bonus
ne in peiora tibi nos rapiat Satan;
quin defende tuos, Christe manu tuos
ad te sollicita trahas.*

*In quae te sine mox praecipi mala
cursu quisque cadat perspiciat, Puer,
et missis nocuis pectore somniis
unum te perament pii.*

*Infanti tibi tunc stramine in algido
flectemus genua et mox humiles caput,
nam tu, Christe, vales unus in omnibus
pacem fundere gentibus.*

*Messanae, in festo Nativitatis Christi
MCMXXXVIII.*

Ios. MORABITO.

APUD SINENSES ANNI EXITUS ET NOVI EXORDIUM

Audisne? Urbs tota consonat aere percusso quod *tam-tam* appellant, tympanorum crepitum, clangore tubarum, clamoribusque præconum omnia sonant. Quid? Lege præscriptum est, decem ut perpetuis diebus, qui sunt ad anni exitum, omnes omni ab opere abstineant, a quovis labore quiescant. Confucius enim ille et philoso-

phus, et legislator, et theologus, et Unus in Omni apud Sinenses, in libro, qui *Cku-Ching* inscribitur, haec habet: « Moriens annus est quasi a nobis amicus nunquam redditurus excedens; adveniens annus est quasi potens, a quo et mala timere possumus et bona exspectare. Itaque primo illi reddemus honorem et gratiam abeunti; alteri huic omnia exhibebimus, quae animum eius nobis concilient ». — Et, hercle!, haec persuasio Sinenses obtinet. Statim elegantes iuvenes et viros, caveam singulos speciosis avibus egregiam præferentes, vides in frequentiores prodire vias, deambulare, ostentare se, magno sericarum vestium cultu, magno apparatu. Neque in urbe haec tantummodo; sed in Sinis ubique viri, mulieres, pueri, puellæ, adolescentes, quotquot sunt, prodire in agros, in aperta platearum, camporum, ad ripas fluminum, lacuum deducere solemnii pompa simulacra deorum, incensa, odoramenta ab olibano ad chartas comburere, bona omnia humanissimis verbis abeunti anno precari, valedicere, commendare hunc dis deabusque omnibus ob benefacta, dimittere si quid contra malum intorserit, et affirmare haec dira non malo animo, sed contra sententiam, proculdubio præter intentionem, intorsisse.

Interea quidquid negotiosum ita constitutum lege est, ut ante solemnes hos decem dies, omnino sit absolutum; novo anno nova sint omnia. Tum in domibus divitum non minus atque in casis humilium pia quaedam caeremonia omnes occupat, ritusque compleetur vigesimoquarto die duodecimae lunae. Valedicitur, et prosperum iter ad mortuos ominantur Deo tutelari familiae, quasi uni ex Laribus et Penatibus apud maiores nostros, qui e foco excedit; et apparantur, et fiunt quae idonea sint domestico alii genio, nutu divino vel proprio consilio in consuetudinem habitantium succedenti. Longae chartarum taeniae diversis pictae coloribus incenduntur, dum-

que volant reliquiae scintillis ardentes, auctoritate capiuntur ab iis, qui certatim eas inseguuntur flabellis, ne antequam extinguitae sint penitus solum attingant, quippe putant malas cogitationes cum iis extingui, abire, tenebrescere aeternum magna cum utilitate domorum et incolentium. Ara huic Deo domiso in coquina est, aeternum lampade lucens, saepe cereis ornata, thure et pretiosa iucundaque aura fumi perflata. Lampas illa *longaevitatis* appellatur *lampas*, et quovis vespere ante hanc ille absolvitur incensae chartae ritus expellendae flabellis; idque integro anno usque ad fatalem illum quartum supra vigesimum diem duodecimae lunae... Ecur « fatalem »? Quia hoc die ultima ingruunt fata quamplurimi, prout habent, felibus, canibus, sororibus decumanis; quos coquunt multifariam, iuxta numerum, multiplici liquamine aspergunt a melle ad acetum, et multis condunt cachinnis a pipere et mulso ad sal et cinnama, a saccharo et adipe ad siceram et oleum, et reliqua huiusmodi culinaria gularum irritamenta; inde bellaria, inde mellita. Magno coram Deo illo opiparum apparatur convivium, lautissimum iuxta quod cuique possibile sit. Bene postquam comedere et biberunt, incidunt ludos igniarios pyrogranis confectos, et tecta, seu solaria domus hordeo, simila, avena spargunt, quibus reficiantur equi tracturi curru Deum foci annum abeunt, novaeque instaurantur nulla interposita mora epulæ, queis bene, iucunde, amice novus adveniens Deus excipiatur, annum integrum penes eos habitaturus.

Novus hic annus Genius, sive Deus (seu mas, seu femina sit, nihil interest) fertur vacuam extemplo aram sedemque occupare, tutelam aditurus patrociniumque familie, cui missus est, et cui creatus ad hoc est a numine summo, nomenque accipit excipientis domus, et illo in posterum appellabitur, vel post excessum, ubi latens alter annus vices et locum eius occu-

pabit. Ultimo denique die coram altari onerantur mensae grandi, enormi patina cupressinis decorata ramusculis, quibus chartulae haerent inscriptae faustis, felicibus vocibus. Ramusculi isti in oryzae cumulo, quo patina concrescit, inserti sunt; porro adduntur ad cumulum augendum species quamplures fructuum, quibus copia, abundantia indicetur.

Oblatio haec ad dimidiam usque noctem supremi diei huius permanebit ante aram; qua ora decadente, nova patina succedit, illa auferetur. Oryza illa « veteris anni » dicatur, haec « anni lactentis », et nova haec oblatio coram Deo duobus vel tribus exstabit diebus, quibus elapsis, sollemniter commeditur ab omnibus, qui domi fuerint, et in calendario eligitur propitius dies, qui solemnis Deo annuo futurus erit illo anno. Olim vero superstitione quamplurima addebantur; homini recubandum erat ad cisternam gestanti manu ramum piperis floridum, cui, dimidia noctis dante aere signum, ramum in cisternam proiiciendum erat, ut aquam omni contagione mundaret, vitalemque redderet Regnantis Han, agmen centum et viginti puerorum, quibus duodecimus circiter annus esset, rubris ornatum pileis, cinereis et ravis indutum vestibus urbem pererrabat tympanizans utraque manu, totis viribus, ut illo strepitum, crepitum, fragore cacodaemones terret, expelleret, profligaret.

At vi saeculo, imperium Shung obtinentibus, pompa haec longe erat ingentior, adscitis in eam militibus, qui praevirent amicti rubris indumentis, quassantes auratas hastas, et vexilla Draconis effigiem exhibentia, personati horribiliter. Interea per campos villici, ruricolae pompam deducebant attollentes sudibus infixas faces, et arva ambiebant (num et hic quid simile Fratribus Arvalibus?), ut conciliarent sibi campisque Deos uberem satae oryzae messem datus. Vigilatur tamen adhuc nocte integra, nam haec maiora obsoleve-

runt; vigilatur, inquam, singulis in dominis in expectatione anni adeuntis; atque hae vigiliae communes unicuique familiae sunt. Poëtae suos instar aerae cumulant liberos, coramque iis sacrificia frequentant. Sunt qui aurum, argentum, metallaque minora igne liquefacta in pelvem aqua plenum proiiciunt, atque ex figuris, quas rigentes conflat, futura praenosci et portendi credunt.

Summa autem superstitione est in lectione cuiusdam libri (opus ab Han-Voung-Koung olim editum fuit) quo dimititur miseriae, et paupertatis Deus. Legit hunc poëta, plaudentibus et iucundis omnibus, illo vi gesimo quarto vespere duodecimae lunae; et, lectione peracta, munera poëtae sunt ex aureis et argenteis nummis floribusque; hos praebent ultimos puellae singulae.

Solemnissimo autem anni die primo qui sunt in honoribus, in scientia, in opibus salutaturi adeunt templum Dei Caeli, deinde Confucii, et inde Numina litterarum et belli. Circumtonant interea omnia prima ab luce fragore pyrogranorum chartis obvolutorum, et cives cognatas invisunt salutaturi domos, daturi omina et accepturi, munuscula et allaturi, et relaturi, sportulas familiaribus, servis, pueris largituri. Recentibus qui nuptiis sese obstrinxerunt, a salutatis medica mala, auguria prolixis certa, reportant sacculo clausa.

Quartus anni dies dat sollemnia numinibus felicitatis et opum, nec aulae penetralia sunt, quae sericis non ornentur, quae cereis, faculis non refulgeant.

Septimus dies honori humani generis est consecratus, nonus Deo Summo, et ita de festo in festum proceditur usque ad Lanternarum solemnitatem, quae corona et quasi conclusio festorum omnium dierum est. Maxima in populum solutum curis laetitia fluit; et lusibus et ludis domesticis tempus hoc anni est opportunum. Quinimo sunt qui avibus captiis libertatem hisce diebus reddunt, ut omnibus laetitia sit,

prout fecit ad exemplum philosophus quidam, cui cives Han-Tang columbam obtulerant. Magna insuper praesagia sunt circa ventorum spirantium flamina, nubes, verba quae prima audiuntur, scribuntur. Omnia tamen in illud redeunt ut felicitatem, longeavitudinem, dvitias polliceantur.

Quaque autem omina non ad civitatem, non ad rem publicam, unice ad hominem pertinent; ideoque indolem, quam « egoisticam » dicimus, huius populi tradunt. Quisque sibi cavet! Haec senescantis imperii pernicies et labes est. Utinam luceat annus, qui ad Sinenses ferat dilectionis mutuae spiritum, spiritum fraternitatis et caritatis! Hic novus annus erit, ac tunc demum hisce terris

incipient magni procedere menses.

P. A.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De sede interrogationis indirectae

Propositiones interrogative indirectae solent primariae postponi.

EXEMPLA: Multae gentes nondum sciuntur luna deficiat, quare obumbretur (SEN.)

— Numerate quot ipsi sitis, quot adversarios habeatis (CIC.) — Videamus quot

tenus amor progredi debeat (CIC.) — C. Mucius, non ausus sciscitari uter eo

rum qui sedebant Porsena esset, scribam pro rege obtruncavit (TIT. LIV.) — Per

magni interest quo tibi tempore epistola redditum sit (CIC.) — Spero homines intellectuos quanto sit omnibus odio crudelitas. et quanto amori probitas et clementia (CIC.) — Omnes iam patefecerunt quid faciant, quid velint (CIC.) — Memorare pos

¹ Cf. fasc. sup. mens. Decembr. MCMXXXVIII.

sem quibus in locis maximas hostium copias populus Romanus fuderit, quas urbes ceperit (SALL.) — Hannibal imperavit pueru ut omnes fores aedificii circumiret ac propere sibi nuntiaret num eodem modo undique obsideretur (CORN. NEP.) — Exprimere non possum quam sit hoc iucundum mihi (P. I.) — Quum aperuero quid agatur, facile vobis erit statuere quam sententiam dicatis aut quam sequamini (CIC.) — Nunc quod agitur agamus; agitur autem liberine vivamus an mortem obeamus (CIC.) — Sylla dicit se venisse quaesitum a rege pacem an bellum agitatur foret (SALL.) — Bene dormit qui non sentit quam male dormiat (PUB. SYR.) — Cogita quantum bona exempla prosint (SEN.) — In Aristide et Themistocle cognitum est quanto antestaret eloquentia innocentiae (CORN. NEP.) — Scire velim numquid necesse sit esse Romae (CIC.) — Permultum interest utrum perturbatione animi an consulto fiat iniuria (CIC.).

De sede propositionum adiunctarum

a) Praeponuntur propositiones causales.
EXEMPLA: Quoniam belua in foveam incidit, obruatur (CIC.) — Quia stultus es, ea re taces; non tamen quia taces, ea re stultus es (CIC., Herenn., 4, 28) — Quoniam me una vobiscum servare non possum, vestrae quidem certe vitae prospiciam (CAES.) — Quum parum se idoneum Diocletianus moderando imperio esse sentiret, in privatam vitam concessit (EUTR.) — Quum sint in nobis ratio et prudentia, necesse est Deum haec ipsa habere maiora (CIC.) — Quum vita sine amicis insidiarum et metus plena sit, ratio ipsa monet amicitias comparare (CIC.) — Quum in communibus suggestis consistere non auderet, contionari ex turri alta solebat (CIC.).

b) Item praeponuntur conditionales.

EXEMPLA: Si nobis animum boni viri liceret inspicere, o quam pulchram fa-

ciem, quam sanctam videremus! (SEN.) — Si utrumvis persuasissem, in has miseras nunquam incidissemus (CIC.) — Si pace frui volumus, bellum gerendum est; si bellum omittemus, pace nunquam fruemur (CIC.) — Si mea consilia valuissent, respublica staret (CIC.) — Si haec censueritis, patres conscripti, brevi tempore auctoritatem vestram recuperabis (CIC.) — Nisi senatui auctor fuisset Regulus retinendorum Romae captivorum Poenorum, essent profecto redditi (CIC.) — Si aerarii copiis et ad bellum adiumenta et ad ornamenta pacis utimur, vectigalibus serviamus (CIC.) — Si placuerit, mecum inducias facite (TIT. LIV.) — Si homines ab iniuria poena, non natura arcere deberet, quae nam sollicitudo vexaret impios, sublato suppliciorum metu? (CIC.) — Nisi Roma ante profectus esses, nunc eam certe relinqueres (CIC.) — Si Neptunus quod Theseo promiserat non fecisset, Theseus filio Hippolyto non esset orbatus (CIC.) — Si vincimus, omnia nobis tuta erunt; sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fient (SALL.) — Si in omnibus rebus innocens fuero meique similis, quid mihi istius immitiae nocebunt? (CIC.) — Si erunt in officio amici, pecunia non deerit; si non erunt, tu efficere ut sint pecunia tua non poteris (CIC.) — Si dormis, expurgiscere; si stas, ingredere; si ingredieris, curre; si curris, advola (CIC., Att., II, 23) — Si natura negat, facit indignatio versum (IUV., I, 79) — Si vis beatus esse, si fide bona vir bonus, sine contemnat te aliquis (SENEC., Ep., 71) — Nisi vas est sincerum, quodcumque infundis acescit (HOR., Ep., I, 2, 55) — Dum res maneant, verba philosophi fingant arbitratu suo (CIC.).

(Ad proximum numerum).

I. JSS.

Nihil est quod non expugnet pertinax opera et intenta, ac diligens cura.

SENECA, Epist. 66.

NOSTRA RES

Nomina latina rebus hodiernis adaptata.

Abs te, mi Fornari, iam diu benignissime monitus, nonnulla vocabula, quae rei latinae studiosus paulatim collegi et ex elementorum ordine ordinavi, oculis tuis et lectorum Almae Romae obtuli atque, ut ad intellegendum essent faciliora, versiones Francogallicas adieci. Italicas quoque voces apponere in rerum natura non fuit, quia in mea sede eiusmodi vocabularium prae manibus non erat.

1. ALLEGORIE (allégorie) = oratio immutata.
2. AMMENMÄRCHEN (conte de bonne femme) = fabella anilis; fabula nutricularum; nutricis lemma (ātis, n.).
3. AMNESTIE (amnistie) = abolitio facti, sive factorum dictorumque venia et oblivio (SVET., Tib., 4, 1 et CLAUD., 11, 1).
4. ANOMALIE (anomalie) = disparilitas.
5. ARCHIVDIREKTOR (directeur de l'archive) = magister memoriae.
6. AUTOBAHN (autodrome) = spatium automobilarium.
7. BAJONNET (baïonnette) = dolo (onis).
8. BAUERNKALENDER (calendrier paysan) = menologium rusticum.
9. BLINDGÄNGER (non-éclaté) = telum irritum.
10. BRANDBOMBE (bombe flamboyante) = telum incendiarium.
11. BRANDIREKTOR (capitaine des pompiers) = praefectus vigilum.
12. CHEFREDAKTEUR (rédacteur en chef) = magister scripturae.
13. DAMENKRÄNZCHEN (cercle de dames) = conventus matronarum (SUET., Galba, 5, 1); sessiuncula muliebris.

14. DOMINO SPIELEN (jouer au domino) = ocellatis ludere.

15. DSCHUNGEL (jungle) = dumetum palustre.

16. ENZYKLOPÄDIE (encyclopedie) = orbis doctrinarum.

17. FLASCHENZUG (poulie mouflée) = machina tractoria, sive troclea.

18. GENTLEMAN (gentilhomme) = homo ad unguem factus.

19. GRENAUSWEIS (légitimation pour passer la frontière) = libellus terminalis.

20. HANDGRANATE (grenade à main) = malleolus displosibilis.

21. HARAKIRI MACHEN (s'éventrer) = scissuram ventralem sibi consiscere.

22. HUMANISMUS (humanisme) = doctrina vel disciplina humanitatis.

23. INTERVIEW (interview) = diverbum.

24. JOURNALIST (journaliste) = diurnarius.

25. JUGENDHERBERGE (auberge pour la jeunesse) = deversorium iuventutis, vel mansio iuvenalis.

26. KABARETT (cabaret artistique) = theatrum varietatum.

27. KALENDER (calendrier) = compitio anni.

28. KERNSEIFE (savon ferme ou solide) = sapo spissus.

29. KLÄRANLAGE (bassin de curage) = percolatio.

30. KREUZZUG (croisade) = expeditio sacra.

31. MARGARINE (margarine) = butyrum facticum.

32. MARKTHALLE (marché couvert) = macellum.

33. DURCH MARK UND BEIN (jusqu'à la moëlle des os) = per dura ossa.

34. MATERIALISMUS (matérialisme) = ratio materialis.

35. MOBILMACHUNG (mobilisation) = evocatio bellica vel molitio militaris.

36. MUTTERMAL (marque de naissance) = nota genetiva (SUET., Aug., 80)

37. NATIONALGEFÜHL (*sentiment de nationalité*) = ingenium gentile sive sensus genticus.

38. NIVELLIERUNG (*nivellement*) = perlibratio.

39. OASE (*oasis*) = nemus (CURTIUS, IV, 7, 20).

40. PELERINE (*pèlerine*) = abolla, sive paenula.

41. PROFILBILD (*portrait pris de profil*) = catagraphum, sive imago obliqua.

42. RATIONALISMUS (*rationalisme*) = doctrina, vel disciplina rationalis.

43. REGENMANTEL (*caoutchouc, ou mackintosh*) = lacerna.

44. RENAISSANCE (*renaissance*) = renascentia.

45. SCHLACHTHOF (*abattoir*) = confectionarium.

46. SCHLEUSE (*écluse*) = cataracta.

47. SCHNECKENFARM (*escargotière, ou escargoterie*) = cochlearium.

48. SEEBAD (*bain de mer*) = natatus marinus.

49. SILO (*grenier, ou silo*) = granarium, vel sirus.

50. SOUBRETTE (*soubrette*) = mima.

51. SPRENGBOMBE (*bombe foudroyante*) = glans displosibilis.

52. STANDESAMT (*bureau de l'état civil*) = officina rerum civicarum, vel tabularium rerum familiarium.

53. STAUBSAUGER (*aspirateur de poussière*) = exhaustor pulveris.

54. STERN SCHNUPPEN (*étoiles flantes ou tombantes*) = tractus flammarum; tractus ignium; traiectiones stellarum; stellae transversae.

55. STUTZER (*dandy, ou muscadin*) = trossulus.

56. SYMMETRIE (*symétrie*) = convenientia partium.

57. TÄTOWIEREN (*tatouer*) = notis compungere.

58. TREPPENGELÄNDER (*balustrade d'escalier*) = epimedum.

59. VOLKSTUM (*nationalité*) = gentilitas.

60. WASSERHEBEWERK (*levier hydraulique*) = castellum, vel diviculum, vel expressus.

61. WEHR (*barrage sur une rivière*) = saeptum fluminis.

62. WELLBLECH (*tôle ondulée*) = lamina flexuosa.

63. WETTERSCHACHT (*puits d'aérage*) = aestuarium.

64. ZIFFERBLATT (*cadran*) = orbiculus numeralis.

Hindenburgi scrip. meise Decembri 1938.

HANS LIS,
studiorum consiliarius.

De Rolandi exitio ad vallem Rubeti

Rolandi fabula non modo litteras et artes aevi illius, quod medium dicimus, late occupavit; verum etiam recentiores aetates, atque apud omnes populos in deliciis fuit; reflorentibus autem apud eruditos homines de historia et antiquitate studiis, auctae pariter et circa Rolandum inquisitiones, ita ut et vita viri omnis investigari per partes coepit, et ipsa loca, quae, ut ferebat traditio, gesta ab eo videre fuerint recognita; in his vallis illa Rubeti, iuxta quam dicitur Rolandus morti occurrisse.

Anno DCLXXVIII, idibus Augusti, extremum agmen exercitus, quem Carolus Magnus imperator ex Iberia reducebat, a Vascounibus monticolis inopinato circumventum plane deletum est. Cognita clade reddiit exemplum rex cum exercitu; at quem pervenisset in campum nullos iam aggressores invenit; quum autem per oppositos imperii fines Saxones tumultuarent ad hoc coercendos tumultus discessit. Narrant haec regales annales atque Caroli vita ab Einhardo conscripta, haec scriptores omnes exceperunt; sed Arabes contraria prorsus tra-

dunt. Ibn-al-Athir auctor est, qui XIII ineunte saeculo scripsit, a Turcis Caesaraugustensibus Gallos, iam extra Arabum fines egressos, fuisse fusos.

Forsan ex utraque traditione comprehendimus Mahumetanos incitasse Vascones ad pugnam, cumque iis simul in abeentes incidisse.

Quidquid fuit, indubium manet luctum regis maximum exstisisse, miramque clades huius memoriam non apud Gallos tantum, quos tetigerat, sed etiam apud reliquos Europae populos tamdiu servatam quamdiu Rolandi Britonum comitis, qui in ea cecidit, clarum nomen insonuit. Quae tamen insolita videri posse nemini existimo, qui consideraverit quam late tunc temporis epica carmina in Galliis florarent. Huius namque poëeos in dominium Rolandi quoque gesta cesserunt, atque antiquissima poëmata sub titulo *Chanson de geste* argumentum inde sumpsere, quorum quod novissime conditum est ipsius herois nomine insigne *Chanson de Roland* anno MLXXX exaratum tradunt. Carmen cecinerunt ubique sua quisque lingua Europae populi, Iberi, Itali, Angli, Germani, ipsique Dani, Scandinavi, Thulenses.

Attamen ad illud tam late vulgandum, praeter ipsum versum argumentum, bellum quidem maximeque christianum, constitutum etiam loci situs, qui cladem illam Rolandi vidit. Illius enim per vias mille fere annos peregrinantes omnes pertransiere, qui Gallaeciae fines petebant, atque S. Iacobii sepulcrum totius Iberiae palladium. Tunc conditum ibi hospitium est ad eos excipiendo, proximum quidem veteri sacello ipsius Caroli iussu constituto, ut suorum militum Manibus piaculo esset. Custodiebantur quidem in sacello insignes clades illius memoriae. Rolandi arma, gladiumque celeberrimum classicumque, quo ut regem ad auxilium revocaret, cecinerat. Erat quoque proxima et rupes per ictum gladii potentissimi hians, quam comes, ne in ho-

ustum manus proprium ferrum incideret, ut illud frangeret, moriturus percusserat, et fons purus, cuius aquis postrema vice sitim extinxerat.

Atqui Rolandi comitis atque Oliverii, socii eius fidelissimi, arma hodie quoque a sodalibus Augustinianis, qui sacellum colunt visitantibus ostenduntur, sericaque Turpinii Episcopi calceamenta, quae una cum iis pari fide asservantur. Viatorem credere reliquias nec iubent quidem nec suadent Iberi; sit itaque et vobis, lectores, aequa dubitandi libertas. Accedit proxime ipsa in planicie, per quam ab hospitio ad Burguete oppidum fit iter, aliud sacellum in praesens incultum Divino Flamini scrum, cuius sub solo vetus traditio docet ossa fuisse recondita militum, qui armata manu ea die occubuerent.

Simplex quidem sacelli exstructio, eaque sane quae facile octavo saeculo tribuatur, at recentiorem eam esse probabilior tradit opinio, conditamque primum saeculo XII ut peregrinantibus foret sepulcrum, Sed si quae pie ostendunt monachi et incolae parum vera esse quis credit, recogitet oportet quod millibus peregrinantium illis respondere opus fuerit, loca memoriasque pugnae curiose sciscitantium atque inquietantium. Inde orta paulatim ignota historiae documenta, atque mixtae veris fabulosae memoriae ostensae.

Ceterum pleraque de proelio illo celebrissimo ipsi loci incolae antiquitus ignorabant, docuitque eos primus Rodericus Toletanus, qui Iberiae historiam saeculo XIII conscripsit. Serius tamquam Ibericam victoriam placuit proelium considerari, atque saeculo XVIII ineunte, crux monumento posita est, eique insculpta inscriptio ad celebrandam Iberorum virtutem. Hanc Galli milites anno MDCCXCIV, Iberiae fines transgressi, solo aequarunt.

Contra ex summa antiquitate Carolum etiam Imperatorem crucem eo in loco constituisse constat ex itinerariis, quae adhuc

supersunt a peregrinantibus descriptis. Quae crux vocabatur quidem «crux Caroli», atque viam dominabatur omnem, quam Romani praetores primi aperuerant, quamque Gallorum copiae, in Iberiam ingredientes vel discedentes inde, calcaverant: eam enim viam Carolus ipse refererat.

Attamen, etsi falsa nonnulla tradant, monumenta tamen, ut plerumque solent, verius semper quam poëmata loquuntur; in his enim neque ipse locorum adspectus, neque pugnae eventus, neque Rolandi mors satis integra fide tradita perleguntur. Locus enim apertissime patet etsi montibus circumseptus, minime, ut Rolandi carmen mentitur, asperis iugis est vallatus et praeruptus. Eadem dicenda de ipsa pugna, forte monticolarum congressu ex Ibañetae summis iugis commissa; inde repulso agmine Gallorum, qui gravi armatura praepediebantur, in vallem, Arabes supervenientes circum eos ad unum usque necarunt. In carmine contra Arabes ad quadrinaria usque militum millia in campum descendunt, quos Galli equites antequam occubant omnes interficiunt: mox Rolandus ipse vulnerato hostium duce, telum accipit victorque atque campo potitus moritur.

Carolus ad auxilium vocatus, advesperascente die adest; at sol, — ita fabulator cantiuncula, — immotus stetit in caelo, ut potestatem regi daret Arabes ad Iberum usque flumen persequendi et cladem a suis acceptam ulciscendi: Ganellonis comitis proditio extrema additio est, ut populari studio in Rolandum heroem satisiceret. Concludendum itaque Rolandi carmen etsi antiquitus ferme ex ipsa rerum locorumque integra notitia fuerit conflatum, tamen progressu temporis ita a poëtis fuisse exornatum, ut vix aliquid e pristina veritate retineat; hac novissima forma redactum nos quoque accepimus, recentioresque vates recinuerunt.

I. ANTONELLI.

MEDICAE NOTAE

De sanitatis conservatione in genere

In conservanda sanitate potior ratio habenda est ventriculi et intestinorum, ut nempe ipsa chylificatio in ventriculo rite et ex voto peragatur, atque digestio et secretio intestinis quotidie promoveatur. Quo decantata illa medicorum regula spectat: «Vitia coctionis primae nullibi corrigitur»; hoc est illud quod attenuari secerni, exaltari aut subigi debebat in ventriculo et intestinis, si primam illam coctionem subterfugerit, etiamsi ad sanguinem devenierit, nullibi tamen visciditatem, acorem aut alium saporem peregrinum, et excrementi naturam, deponet. Et ausim dicere, omnes fere morbos, praesertim chronicos, scaturigines suas habere in primis viis, ut eo maiori cum sedulitate acidum illud vitale in ventriculo, et balsamicum amarum in intestino duodeno, quantum quidem possibile est, in mediocritatis statu conservare debeamus. Omne enim nimium est naturae inimicum; hoc est consuetus aether non fert eiusmodi remedia vel alimenta, quae poros nimium immutant, aut alium fluidis conciliant ordinem et motum.

Deinde quum consuetudo sit altera natura, etiam non temere recedendum est a tali consuetudine. Nam «consueta longo tempore etsi deteriora sint, minus molesta esse solent». ¹ Consuescere autem nihil aliud dicit, quam non amplius alterari. Hinc fieri potest, ut cibos consuetos, etsi difficiliores sint, melius feramus quam cibos melioris notae; tamdiu enim illis usi fuimus, ut non amplius alterent; hoc est, tot nunc in sanguine reliquerunt particulas, ut non solum nulla amplius ex adventu chyli minus temperati percipiatur lucta et pugna cum consueto aethere, sed quod ipsum etiam fermentum ventriculi ex si-

¹ HIPPOCRAT., Aphor., 50, § 2.

milibus partibus constet, et ob pororum similitudinem eiusmodi alimentis citius insinuet, quam aliis. Male itaque consulere tur, si quis illos, qui assueti sunt cibis durioribus, aut nicotianae suctioni, statim ad contrariam diaetam cogere vellet, quia subitanae mutationes sunt periculosae, et peregrinus aether subinde habet naturam filii, qui etsi prodigus sit, nequaquam tamen cum impetu eiici debet, quin potius in contrariam viam blande et sensim flectendus. Natura enim vult duci, non cogi.

Porro sicut iniuria fit illis, qui secundum apices iuris iudicantur, quia sumnum ius est summa iniuria, ita summa est miseria scholastice vivere, et palatum strictissimae diaetae legibus submittere. Plus sane latior diaeta confert tuendae valetudini, quam si ad scholae Salernitanae rigorem exigatur. Neque enim negari potest, illos qui strictissimae diaetae addicti sunt, casu aliquo incidente plerumque gravius aegrotare, nec tam facile restituvi posse. Unde non male Celsus: «Sanus homo et qui bene valet, et sua sponte est, nullis obligari se legibus deber, ac neque Medico neque Alipta egere. Hunc oportet varium trahere vitae genus: modo ruri esse, modo in urbe, saepe in agro; navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere, siquidem et ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti, modo ung, modo id ipsum negligere; nullum cibi genus fugere, quo populus utatur, interdum in convivio esse, interdum ab eo se retrahere, modo plus iusto, modo non amplius assumere: bis de die potius, quam semel cibum capere, et semper quam plurimum, dummodo hunc concoquat».

Quamvis autem illi, qui integra gaudent valetudine, sibi rarius medicari debeant, immo, iuxta Hippocratem, nunquam bene ferant medicationes severiores, non temere

tamen et haec praesidia contemnenda erunt, praesertim vernali tempore. De fortioribus autem remediiis longe aliter sentio; siquidem quandoque pro medicina erit, non uti remedii. Unde non possum non ilorum mirari liberalitatem, qui quacumque data occasione etiam bene valentibus sua obtrudunt arcana, et sub specie alicuius providentiae homines obtorto quasi collo ad pharmacopalia mittunt, quasi ibi vita longa venalis prostet, non attendentes medicinam instar gladii in manu imprudentis ad utrumque esse parata.

WALDSCHMIDT.

ANNALES

Civitatum ex omni America Peruviana convexus.

Limae in urbe, Peruviana reipublicae capite, legati ex omnibus Americae civitatibus congregati sunt ad communia negotia perpendenda. Recognita ibi et confirmata est Americanorum animorum omnium concordia ad requirendam defendendamque continentis terrae sue pacem, sociaque opera in universorum unitatem tutandam: observantia in proprium cuiusque civitatis imperium inque singularum civitatum libertatis iura, summa erit ratio internationalis omnis ordinis apud Americanos; quod si periculi quid in re obventurum sit, communis consensus firmitas per rationes coaguetur, quae singulis vicibus opportuna magis praebantur. Utinam ne huiusmodi periculi occasio unquam intercidat!

In Sinis

Nunciata est ex extremo Oriente inter Iaponiam et Sinas feralis discriminis proxima compositio, quae vero evanuit: Iaponiorum enim propositiones Ciang Kai Scek eiusque factionem Communistarum sectae faventem coercendi, praesidiaque Iaponio-